



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt baptizandi di nomine dato à carne & vino se abstineant. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

porē baptizantur. à gradibus Ecclesiasticis abstineant, nec ad clerum admittantur.

De eadem ro. Cap. VII.

Sacro sancti baptismi sacramentum, non nisi in Paschali festiuitate, & Pentecoste vnusquisque fidelium nouerit esse præbendum: exceptis his quibus mortis periculo urgente, ne in æternum pereat, talibus oportet remediis subuenire.

Ex cõcil. Vnorma- cic. ca. 10

Vt viginti dies ante baptismum ad purgationem exorcismi, catechumeni veniant.

Cap. VIII.

Hoc omnimodis præcipimus, & antiqui canones præcipiunt, vt ante baptismum viginti dies ad purgationem exorcismi catechumeni veniant, & in illis viginti diebus iuxta canonicum præceptum, & erudiantur & consecrentur.

Ex cõcil. Braggar cap. 3.

Quod omnes ad baptismum venientes quinta feria maioris hebdomadæ, fidem episcopo vel presbytero reddere debeant.

Cap. IX.

Quod oporteat eos qui ad baptismum veniunt fidem discere, & quinta feria septimanæ maioris episcopo aut presbyteris reddere.

Ex cõcil. Laodicēsi cap. 46.

Vt omnes baptizandi prius sint exorcizandi

Cap. X

Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non ocioso contemplatur intuitu, cum siue paruuli, siue ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat, quomodo princeps huius mundi mittatur foras.

Ex dere. Celest. pap. Gal- liarum e- pis. missis cap. 12.

Vt baptizandi nomine dato à carne & vino se abstineant.

Cap. XI.

Baptizandi nomen suum dent sub abstinentia vini & carni, ac manus impositione crebro examinent baptismum.

Ex cõcil. Cartha. cap. 85.

Quod neophyti à lautioribus cibus aliquod tempus, & à coniugijs se abstinere debeant.

Cap. XII.

Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis, & spectaculis, vel coniugibus abstineant.

Ex eodē cap. 87.